

nam iustitiæ secundum Evangelium ex pacto gratuito.

XIII. Ex coniunctionibus causalibus non semper elici debet causa rei. Nam sæpenu-mero sunt rationales, & tunc non significant causam essentiæ, sed consequentiæ. e. g. Sol ortus est. Nam dies est. Item: Ille est pauper: quia mendicat. Sic *Matth. 25. v. 35.* particula enim est rationalis, h. e. non significat causam antecedentem, sed ratiocinationem ex effectis fidei, hoc sensu. Possidete regnum vobis paratum ab initio mundi; hoc est, adite jam vestram hæreditatem. Nam effectis fidei testatû fecistis, vos esse hæredes Patris mei, & meos cohæredes: quia me esurientem, sitiëntem, nudum &c. tractastis ut cohæredem.

XIV. Ex encomio actus fidei malè colligitur dignitas, meritum, & perfectio operis. Sic *Psal. 1.* beatus prædicatur, qui non ambulat in consilio impiorum, sed delectatur lege Dei &c. h. e. qui præditus est v. rã fide, cuius effecta sunt, non ambulare in consilio impiorû, delectari lege Dei &c. Similiter *Matth. 25. 35.* cõmendantur opera misericordiæ, non sanè quã talia, sed quia à tali, h. e. quia profecta fuerunt ex fide.

CAPUT XXVIII.

De bonis operibus in sp. cie.

I. **P**osita cultu Dei interno non statim poni-